

## De oudste particuliere oorkonden van Werden (Ed. Blok) Nr. 13

Notum fieri cupio omnibus tam presentibus quam futuris, quomodo ego in dei nomine Hluduuinus, filius quondam Thiatheri, pro remedio anime mee et pro eterna retributione tradidi omnem partem hereditatis mee in loco nuncupante UUerethinum ad reliquias sancti saluatoris et uenerabili uiro Liudgero abbati, qui ipsas reliquias semper secum gestare solet; id est inter duos riuulos, qui surgunt in monte et in flumen Ruram uadunt unus uocatur Diapanbeci, alter uero in orientali parte est absque nominis appellatione de terra aratoria usque in flumen Ruram; traditumque in perpetuum esse uolo et nullis temporibus inmutatum, sed ipse uenerabilis abba Liudgerus hanc traditionem, que dudum comprehensio mea esse dinoscitur, simul cum illa terra que ibidem iam culta esse uidetur, totum et ad integrum perennis temporibus teneat, possideat ad usus ecclesie dei, liberamque et firmissimam potestatem habeat a me et ab omnibus heredibus meis, quicquid exinde facere uoluerit et in cuiuscumque manus mittere decreuerit dum adhuc ille aduixerit, qui post obitum suum illud excolat et ad utilitatem ecclesie dei redigat.

Si quis uero, quod futurum esse non credo, ego ipse, quod absit, uel aliquis de heredibus meis aut ulla adposita persona qui contra hanc traditionem uenire conauerit, inprimitus iram dei celestis incurrat et a consortio omnium ecclesiarum anathematizetur, et insuper in dominicum auri libras V, argenti pondus X coactus exsoluat, et sic quidem, quod repetit, euindicare non ualeat, sed firma et inmutabilis traditio hec in sempiternum permaneat, stipulatione subnixa.

Acta est autem publice XXXI anno regni relegiosissimi regis Carli, XV kalendas februarias, coram manum missoribus, in loco nuncupante Diapanbeci siue UUerithina, quorum nomina infra tenentur. Notauit diem, locum, tempus quo scripsi. Ego Thiatbaldus humilis presbiter rogatus scripsi et subscripsi.

Signum Hluduuiini qui hanc traditionem dominante manu peregit propriaque subtus firmauit.

Signum Reginberti. | Signum Thiatbaldi.

Signum Thiatheri. | Signum Frithuradi.

Signum Frithubaldi. | Signum Frithubrandi.

Signum Reginbaldi. | Signum Theganradi.